

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

De superstitione libellus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

Sponſionem autem alij putant eum traducere vt rem periculofam & futilem, his verbis:

Pro pranis ſpondere equidem eſt res plena pericli.

Odysſ. 9.

Cherſias autē noſter Aten ait propterea fuiſſe à Ioue de cœlo præcipitatum, quod interfuiſſet ſpōſitioni de Herculis naralibus, qua Iupiter circumuentus fuit. His ſubiecit Solon hæc verba: proinde pareamus ſapientiſſimo Homero,

351.

Iliad. 7.

126.

Iam nox inceſſit, nocti nos cedere verum eſt.

Iliad. n.

ergo libemus Muſis, Neptuno, Amphitritæque: eoq; facto, niſi vobis contra videtur, conuiuium diſſoluamus. Hic fuit Nicarche, iſtius conuentus ſinis.

282.

PLVTARCHI DE SVPERSTITIONE LIBELLVS.

15

Incſcitia deorum atque ignoratio iam inde ab initio in duos quaſi riuos dimanans, ab vna parte in duris ac refractariis ingeniis tanquam in aſpero ſolo impietatem, quæ nullos putat eſſe deos, ab altera veluti in molli ac tenero ſolo ſuperſtitionem animis lenibus ingenerauit. Eſt quidem omnis falſa opinio, maxime de talibus rebus, pernicioſa: cum vero animi perturbatio adiungitur, pernicioſiſſima exiſtit. Omnis enim animi perturbatio, inſtar morbi eſt cum inflammatione coniuncti. & ſicut luxationes artuum humani corporis accedente vulnere, ita animi errores perturbatione comitante periculoſiores ſunt. Putat aliquis indiuidua corpuscula & inane vniuerſi eſſe principia: falſa eſt opinio, ſed vlcus non gignit, neque palpitationem, neque dolorem lancinantem. Opinatur aliquis diuitias ſummum eſſe bonum: hic error venenatus eſt, animam depaſcitur, abalienatque, dormire non patitur, identidem exſtimulat, de faxis præcipitat, ſtrangulat, libertatem adimit. Sunt ruruſus qui virtutem & vitia corpori adſignant: fœdus profecto hic error, non tamen dignus deploratione & lamentis. Aliæ quædam ſententiæ ſunt ac opiniones, vt:

Error cū animi perturbatione exiſtiſus.

O miſera Virtus, Verba tu cum ſis, ego

Tanquam rei nauauis operam tibi, --- omiſſa diuitias largiente iniuſtitia, & omnis voluptatis ferace intemperantia. huiuſmodi opiniones cum deplorandæ ſunt, tum indi-

*Impietatis
& supersti-
tionis com-
paratio.*

gne ferēde, quia vbi animo insunt, ibi multos morbos mul-
tasque perturbationes vermiū instar ac lumbricorū ingene-
rant. Proinde, vt de iis dicam de quibus institutus est nobis
sermo vitiis, impietas prae sentiens nihil esse beatum, ni-
hil interitus expers, animo quendam videtur stuporem in-
ducere negatione numinis, finisque non credendi deum esse,
est metu vacare. Superstitionem Græci deisidæmoniam
nominant: qua voce intelligitur opinionem de diis esse tur-
bulentam, ac timorem incutere homini, quem consternat
& deprimit, existimātem quidem esse deos, sed eos acerbos
damnososque esse putantem. Ac videtur is qui nullos putat
esse Deos (quem impij voce intelligi volumus) nihil moueri
numinis mentione: supersticiosus autem moueri quidem
sed peruersē. illi enim ignoratio ne credat esse quod pro-
dest confert: huic, id ipsum vt credat esse damnosum. Ergo
impietas opinio est falsa, superstitio affectus animi ex
errore ortus. Turpes quidem sunt omnes animi morbi, fœda
omnia eius vitia. tamen alacritas quædam & elatio animi
adest ob leuitatem, neque impetui ad agendum quicquam
fere decedit. hoc commune omnium animi perturbationū
crimen est, quod ad agendum vi quadam incitant, rationē-
que vrgent & circumscribunt. Solus metus, cum nō minus
quam audacia rationis sit expers, vacuitatem rationis habet
segnem, ociosamque & perplexam, animumque perturbat
& vincit terrorem: vnde metum deima, quasi ligamentum,
Græci dixerunt. Neque vero vllus metus est qui perinde ab
agendo abducat & hæsitare cogat, atque superstitio. Non me-
tuit à mari sibi qui non nauigat: non bellum militiæ exfors,
non latrones timet qui domi se continet, non sycophan-
tam pauper, non inuidiam plebeius, non terræmotus in
Gallia, non fulmen in Aethiopia formidatur. qui deos me-
tuit, omnia metuit, terram, mare, aerem, cœlum, tene-
bras, lucem, rumorem, silentium, somnium. Obliuiscuntur
herilium minarum serui dormientes, qui in compedi-
bus sunt, ius vincula somnus alleuat: inflammationes, vulnera, sæ-
ua carnis & serpentina vlcera, doloresque acerrimi somno
mitigantur.

*Enrip. Ore
sta.*

*Somnus su-
perstitionis
sorum.*

Morbi lenamen suauē, & oblectatio

Iucunda somne, quam tempestiue mshi

*Nūc obitigisti. --- inquit ille. Hoc dicere nō sinit super-
stitio.*

fitio. soli huic nullæ sunt per somnum induciæ, neque vnquam quiescere animum patitur, neque se colligere eum accerbis & molestis de numine opinionibus dimotis: sed veluti in impiorum regione in somno superstitiosorum simul sacra terribilia, & visa monstruosa feruntur: & superstitio semper pœnas quasdam exercens, miseramq; exagitant animam somniis somno exturbat, a seipsa tanquam ab alio aliquo excarnificatam, durisq; & absurdis parentem mandatis. Postquam euigilauerunt, non contemunt somnia sua, neq; rident aut delectantur eo, quod nihil eorum quibus turbati fuerunt verum sit: sed vmbra fugientes fraudis innoxia, re vera sese decipiunt, ac conturbant, sumptuose faciunt in agyras atque impostores incidentes, qui eis sic dicant:

15. *Si te nocturna visa terruerunt,*

Hecates & comestatio terrena:

vetulam voca quæ pistrino adidet, & mari corpus mergetuum, ac per totum diem humi deside.

Hui, quàm mala inuenistis Græci barbara.

- 20 cœno contaminari, desiderare in sterquilinio, sabbatum seruare, proicere se in faciem, turpiter sedere, ritu alieno adorare superstitionis causa iubentes. Qui videbantur legitimam conseruare musicam, iniusto ore citharædos canere iuebant. Nos quoque postulamus, vt recto & iusto ore Deum
- 25 inuocetis: neque in hostia quidem examinētis an pura sit & recta lingua, interim verò vestras ipsorum linguas peruertentes & inquinantes, absurdis nominibus ac barbaricis vocibus scædetis ac peruertatis diuinam atque à maioribus acceptam religionis auctoritatem. In comœdia quidam
- 30 aduersus eos qui spondas aut argentove obducerent non ineleganter dicit, non debere eos sibi ipsi somnum sumtuosum facere, quem solum gratis dii nobis largirentur. idem possis superstitioso dicere, Somnum dii nobis dederunt requiem & obliuionem laborum: cur tu eum tibi perpetuum redigis tormentum ac dolores miseræ animæ eo excitas, quæ alium ad quem cõfugiat somnum non habet? Heraclenti est, viuis vnum esse & communẽ omnibus mundum, dormientium quenque in peculiarem diuertere. Superstitioso autem nullus est communis mundus. nam neq; vigilans ratione recta vititur, neque ab eo quod ipsum per-

turbat somno liberatur. sed dormit ratio, semper vigilat
metus, fuga mali aut requies nulla datur. Terribilis fuit Sa-
mi tyrannus Polyocrates, Corinthi Periander. nemo tamen
hos timuit qui in liberam & populari forma constitutam
ciuitatem secessisset. Qui verò deorum imperium tãquam
tyrannidem metuunt terream & inexorabilem, quò concedat,
quò fugiat, quam terram Dei expertem, quod mare inueniat?
in quam mundi partem penetrabis, ibiq; te abscondens,
effugisse te Deum putabis miser? Lex seruis hoc largitur,
vt libertatē desperata vendi se postulent, æquioresq; do-
mino præsentem mutant. Superstitio deorum mutationem
non relinquit, neq; inueniet Deum quem non formidet,
qui paternos & natalicios timet, qui Seruatores & Propi-
cios metuunt horretq; eos, à quibus petimus diuitias, copiã,
concordiam, pacem, & verborum factorumque optimum
successum. Iam isti seruitutem pro calamitate habent, refe-
runtque isthæc:

*Gratis seruo, gratis est mulieri calamitas,
Seruire sub dominis parum felicibus.*

Quanto deteriorem putatis esse eorũ sortem, qui metuunt
quos euitare, à quibus profugere vel transire non licet? A-
ræ sunt ad quas confugere tutò seruus possit, multa sunt,
quæ à latronibus non violantur templa, & qui hostem
fugit, simulacrum aut fanum tenens animum recipit. Su-
perstitiosus hæc maxime timet & expauescit, in quibus spẽ
habent repositam qui extremorum malorum sunt in metu.
Noli auellere templo superstitiosum: ibi enim punitur atq;
excruciat. Quid multis? Omnibus hominibus vitæ finis
est mors: superstitioni ne ea quidem profert enim hæc suos
terminos ultra vitæ exitum, metumque vita diuturniorem
facit, annectitque morti malorum cogitationem immor-
taliũ, etiam tum cum soluitur malis, ingredi se putans in
mala nullum habitura finem. Orci nescio cuius portæ ape-
riuntur profundæ, & fluij simul ignis, Stygisque pandun-
tur riuus, tenebræque obducuntur visis multis refertæ simu-
lacrorum adpectu terribilium, ac voces horrendas emit-
tentium. tum iudices & carnifices, hiatusque & penetrabilia
malis infinitis plena. Ita infelix superstitio id ipsum quod
non patiēdo effugit, expectando sibi calamitosum reddit.
Nihil horum est in impietate. sed ignorantio damnosa,
magna-

*Beneficiũ
legis in ser-
uos.*

*Supersti-
tio morte
nō finitur.*

magnaq; animæ calamitas est cæcutire in tantis rebus, quæ
 noticiam Dei, de multis mentis oculis longe lucidissimum
 excæcat. sed sicuti dixi, perturbationes animi, vlcera, tu-
 multus, & seruitus opinionem deorum sequuntur. *Musica.*
 ait Plato concinnitatis opificem hominibus à diis datam,
 non luxus gratia & pruritus aurium: sed quoniam animi
 circuitiones turbulentæ & vagæ in corpore Musæ & gra-
 tiæ inopia, sæpenumero incontinentia & errore luxurant:
 vt rursus in ordinem eius opera redigi possint. nam, vt
 10 Pindarus ait,

*Quæcumq; Iupiter non dælexit,
 Perturbantur Vocem Pieridum audientia:*

etenim efferantur, & indignantur. quomodo tigres aiunt
 circumsonantibus tympanis in tabiem agi, ita vt ad extre-
 15 mum seipsas dilaniant. Minus igitur mali iis est, qui ob sur-
 ditatem Musicam profus non sentiunt, neq; ea quicquam
 afficiuntur. Infortunatus fuit Tiresias, quod videre liberos
 & amicos non potuit. infeliciores eò fuerunt Athamas &
 Agaue, qui liberos videntes, leones & ceruos esse putave-
 20 runt. ac nimirum Herculi furenti vtilius erat præsentis fi-
 lios neq; cernere neq; sentire, quàm carissimos ita vt hostes
 tractare. Quid ergo? non videtur tibi impiorum affectus eo
 modo à sensu supersticiosorum differre? Illi omnino nullū
 agnoscunt numen, hi deos esse censent. illi negligunt: hi
 25 terribile opinantur quod benignum est, quod paternum
 est, & tutelarem curam gerit, ac sincerum est, tyrannicum,
 damnosum, & sæuum existimant. Ergo fabris ærariis, lapi-
 cidis, ac iis qui cerea sigilla fingunt credentes, humano cor-
 pori similia putant esse deorum corpora, ac talia fingunt
 30 adornantq; & adorant: philosophos aut̃ & ciuiles viros de-
 spiciunt, qui deorum maiestatem docēt cum bonitate, ma-
 gnanimitate, benignitateq; & procuratione esse cōiunctā.
 Ergo illi nimis sunt stupidi & fidem non habent bonis vti-
 libus: illi perturbantur, metuuntq; vnde vtilitatem perci-
 35 pere debebant. omninoq; impietas stupor quidam est deos
 non sentientiū, neq; suum bonū agnoscentium: superstitio
 varios affectus animi procreat, bonum pro malo ducentis.
 Metuunt deos supersticiosi, & ad eosdem cōfugiunt, adulan-
 tur iis & male dicunt, inuocant & incusant. Commune hoc
 omnium est hominum, non semper secunda vt fortuna.

*Impij su-
 perstitiosis
 felicores.*

*Aduerſa
Et ferant
impj &
ſuperſti-
tioſi.*

Dijenim morborum, ſenij, ærumnatumq; ſunt expertes, & (vt ait Pindarus) effugerunt raucum ſonantis fretum Ache-
rontis. res humana aliàs aliter euenientibus temperantur
caſibus. Iam primùm in iis qua contra animi ſententiam
contingunt mecum confidera, quomodo ſit affectus qui
nallo credit eſſe deos. ſiquidem aliàs moderatus fuerit ho-
mo, racitus fert fortunam ſuam, auxiliaq; ſibi & ſolatia cõ-
parat: quod ſi iniquus eam fert, omnes ſuas querelas in for-
tunam & caſum dirigit, vociferaturque non iuſte aut à pro-
uidentia diſpenſari humanas res, ſed omnia confulere ac pro-
mifcueri ferri atque raptari. Non hic mos eſt ſuperſtitioſi, ſed
etiam ſi leuiſſimum aliquid acciderit malum, ſedet moren-
do alios ſibi difficiles affectus, magniſque & pertinaces af-
fingens, vltroque ſibi ingerens metus, ac terrores, ſuſpicio-
nes, trepidationes, omniq; luſtu & gemitu percellitur. non
enim hominem, fortunam, occaſionem, ſeu accuſat, ſed om-
nia deo imputat: ab eo in ſe ingruiffe ait fluxum calami-
tatis diuinitus immiſſa, neque miſerum ſe, ſed diis exoſum
hominem à diis puniri, iſtaq; perpeti. quod non iniuria cre-
dit, ita animo affectus. Rurſum impius agrotans reputat
memoriaque recolligit, quoties cibo ſe nimio aut viuo
onerauerit, aut victus rationem conturbauerit, aut labore
contentiore defatigauerit, tum aeris aut loci mutationes
inſolitas. Quod ſi in gerenda repub. offendit, & à populo ig-
nominam affectus, aut apud principem falſo crimine dela-
tus eſt, cauſam in ſeipſo & ſuis perquirat,

Qua prætergreſſus, quid geſtum in tempore, quid non?

At ſuperſtitioſo quæuis & corporis inualetudo, & pecunia
iactura, & liberorum mors, & in actionibus ciuilibus offen-
ſio aut repulſa pro diritate diuinitus inueſta & inſultu nu-
minis habetur. itaque non audent optulari, aut corrigere
caſum, neque mederi aut reluctanti, ne videatur repugnare
deo, eique pœnam inſigenti reſiſtere. Si agrotat, excludit
medicus: ſi in luctu eſt, arceatur philoſophus cõſolatum
ueniens. Sine, inquit, me pœnas dare, hominem impiũ &
detestabilem, diis geniũſque exoſum. Hominiſ eſt deum eſ-
ſe ignorantis, vbi ingens dolor inceſſit, lacrymas abſterge-
re, comam deſecare, veſtem ponere. Sed ſuperſtitioſum al-
loquendi aut ſubleuandi nulla permittitur occaſio. foris
ſedet amictus ſacco, aut ſordidis cinctus centonibus: ſape
etiam

etiam nudus in cœno se volutans, peccata quædam sua aut delicta eloquitur, quod aliquid ederit, biberitve, aut aliquid ambulauerit inuito numine. Si verò optime cum ipso agatur, & superstitione laboret benigna, domi sedet, omnis generis sacrificiis circumdatus. vetula enim ei tanquam paxille, vt Bio dicebat, in quamcunq; inciderint rem, eam pro amuleto appendunt. Teribazum ferunt, eum à Persis comprehenderetur, stricto acinace, vt erat vir robustus, sese defendere aggressum, restantibus iis ac vociferantibus iussu
 10 regis se ipsum capere, statim abiecto ense manus ligandas porrexisse. Nonne id de quo disputamus, eodem modo habet? Alij repugnant rebus aduersis, easque repellunt, & effugia sibi machinantur auersionesque incommo-
 15 rorum. Superstitiosus verò nemine alio hoc dicente, ipse sibi denuncians, miserum se providentia influque diuino ista pati, omnem abiicit spem, prodit se ipsum, auersatur opitulantes. Multa mala de mediocribus exitralia redegit superstitione. Midas ille priscus perturbatus quibusdam vt fertur
 20 somniis, animiq; anxius, eò peruenit mœsticie, vt poto tauri sanguine mortem vltro sibi conscisceret. Aristodemus Messeniorum rex, in bello contra Lacedæmonios, cum canes luporum instar vlulassent, & circa lares paternos agrestis herba enata esset, eaq; signa aruoli metuerent, animum despondit, sibiq; manus attulit. Ac ni fallor Niciam quoq;
 25 Atheniensium ducem multo erat melius Midæ aut Aristodemi exemplo superstitione liberari, quam metu vmbrae Luna delinquentis ociosum sedere, dum ab hostibus circumcluderetur, ac deinde XL. millibus suorum partim occisus partim captis in potestatem hostium veniret, turpique
 30 morte periret. Nihil enim mali est, quod interiectu terræ Luna a Sole aliquando non illustratur, & in terræ vmbra Luna certis circuituibus incidit. id miserum est, quod superstitionis caligini incidens homo ita confunditur, ratio-
 35 nisq; vsus eius excœcatur, cum eum res maxime flagitant.

*Supersti-
tionis ex-
tralis ex-
empla.*

*Fluctus cœrulei iam mare concitant,
Et nubes rapidi prania turbinis
In gyrum celeri volutur impetu:*

*Dicitra
ignauiam
inuocãd.*

hoc videns gubernator, votis quidem salutem expetit, ac deos Seruatores inuocat: inter vota nihilominus clauum adducit, antennis demittit,

*Atq; inflat a Noto carbasa contrahens
Obduco tenebris effugit è mari.*

Hesiodus agricolæ præcipit, vt ante arationem atque fati-
onem stiuam tenens vota nuncupet Diti ac Cereri. Et apud
Homerum Ajax singulari prælio cum Hectore congressu-
rus, Græcos iubet Deos pro se comprecari, ipse illis præ-
cantibus se armat. ac Agamemnon postquam pugnaturis
præcepit,

Ilia. B. 382 *Hastam quisq; acuat, clypeumq; fideliter aptet:
tum demum Iouem sic precatur,*

Ibid. 414. *Da Priami nobis euertere funditus anlam.*

virtutis enim spes, non timiditatis prætextus est Deus. At
verò Iudæi sabbato desidentes ociosi, hostibus scalas muris
admouentibus, murosq; occupantibus nihil se mouerunt,
sed superstitione tanquam reti capti se continuerunt. Talis
est superstitio rebus & occasionibus voluntati nostræ non
conuenientibus, & cum periculo coniunctis. Sed ne in iu-
cundis quidem rebus præstat impio supersticiosus. quales
sunt feræ, epulæ ad templa, inuitationes, orgia, votorum
nuncupationes, & venerationes, quæ solent hominibus ef-
se iucundissima. Hic si consideres impium, videbis eum in-
fano diffluere cachinno, Sardonioq; ista risu ludere, & ali-
cubi ad familiares submissa voce dicere, vano fastu agi & in-
fanire qui deos his rebus coli opinentur: præterea aut mali
nihil eum habere. Superstitiosus autem cupit quidem, sed
non potest gaudere aut delectari,

Vrbs tota cum sæsstitibus referta sit,

Paenisq; gemitibus & suspirijs

anima superstitioni occupatur. pallet coronatus, sacrificans
trepidat, tremente voce vota facit, manibus adolet titubā-
tibus, omninoq; ostendit nugatum esse Pythagoram, cum
diceret optime nos habere cū ad deos accedimus. tūc enim
miserrime pessimeq; affecti animo sunt supersticiosi, non al-
liter quam si ad vrsorum caueas, aut draconum foueas, ce-
terūmve specus irent, ad templa delubraq; deorū adeuntis.

*Supersti-
riosos esse
magis im-
pios, quam
qui deos
esse negāt.* Itaque mirari mihi subit eos à quibus impietatis damnan-
tatur. Atque Anaxagoras impietatis damnatus est, quod
Solem dixisset esse lapidem: Cimmeros nemo impios iu-
dicauit, qui ne esse quidem vllum censent Solem. Quid aut
qui

qui opinatur nullos esse deos, impius est? qui tales esse credit quales superstitiosus, non longe magis impiis opinionibus tenetur? Ego sane malim inter homines de me hunc esse sermonem, nullum omnino esse Plutarchum, quam hoc dici, esse Plutarchum hominem inconstantem, mutabilem, prout ad iram, vindictæ ob leuissimas causas cupidum, ob minima quæque indignantem: qui si vocandis ad cenam aliis ipsum prætereas, aut occupatione impeditus ad eum non veneris salutatum, mordicus arrepto tibi corpus exedat, aut filium abreptum excarnificet, aut belluam ad hoc educatam frugibus tuis immittat vastetq; prouentus telluris. Athenis cum Timotheus caneret Dianam insanã, furiosã, diuino instinctu concitam, rabiosã, surgens de spectatoribus Cinesias cantilenarum conditor, Talis, inquit, tibi detur filia. Atqui similia his atq; etiam deteriora superstitiosi de Diana sentiunt * * neq; his meliora de Apolline, Iunone, & Venere. omnes enim hos deos metuunt ac tremunt. Et verò quid tam contumeliosè dixit Niobe de Latona, quàm de hac credere fecit superstitio fatuos homines, scilicet eam maledicto irritatã sagittis concessisse miserã Niobes

Sex natas, totidem natosq; ætate vigentes:

Iliad. o.

adeo implacabilis scilicet erat, vt exsatiari alienis calamitatibus nequiret. quæ dea si re vera fel habebat, malosq; oderat, & ferre maledicta nequibat, neq; ridebat potius incitiã ignorationemq; humanam: succensere profecto iis debuit, qui tantam ei acerbitatem sæuiciamq; falso adscribunt, taliaq; de ipsa dicunt ac literis mandant. Obiicimus Hecubæ immanitatem vt belluinam & barbaram, quæ dicit,

604.

30 *--- Vnam medium secur eris*

Iliad. o. 212

Nacta vorare queam.--- At Syriam deam superstitiosi putant, si quis mēnam aut apuam edat, eius crura corrodere, corpus vlceribus opplere, iecur colliquare. An ergo dicere de diis praua impium est, sentire non item? aut vobis potius improbã opinio facit maledicentis? certe enim ideo maledicta damnamus, quia signum sunt malævolentia, & qui male nobis dicunt, eos pro inimicis habemus, vt infidos & male de nobis cogitantes. Vides quid de diis sentiant superstitiosi? stupidos, infideles, mutabiles, vindictæ cupidos, crudeles, & qui minimis rebus offendantur

eos

*Supersti-
tiosi deorum
inimici.*

eos esse putat. vnde necesse est superstitiosum & odisse deos & metuere. quid ni enim? cum ab iis maxima sibi illata esse, illatumq; iri mala existimet. iam qui Deum odit & metuit, eius est inimicus. Neq; interim mirum est, quod eos timēs, adorat ac sacris veneratur, & ad tēpla affidet. Nam tyrānos quoque coli videmus & salutari, iisque aureas statuas poni ab iis, qui tacite eos oderunt & execrantur. Alexandrum Hermolaus demerebatur, stipator Philippi erat Pausanias, Chærea C. Caligule. sed horum vnusquisque inter affectandum dicebat,

10

Certe equidem pendes, modo sint Sires mihi, panas.

*Supersti-
tioso impie-
tatis origo.*

Non credit Deos esse impius, superstitiosus nullos esse cupit, inuitusq; esse credit, non audens dissidere. quod si posset, sicut Tantalus lapidem cupit à se remouere, superstitiosus opinionem suam (qua non leuius vrgetur) abs se pro- 15
iicere, amplecteretur vtiq; & beatam duceret impij sententiam, vt liberalem. Nunc impius quidem superstitioue vacat, superstitiosus autem animi instituto impius, imbecillior est quàm vt sentiat de diis quod vult. Præterea impius nusquam superstitioni causam aliqua ex parte præbet. su- 20
perstitio & initium præbuit impietati, & oitæ patrocinium non iustum quidem aut honestum, tamen præscriptio- nis non exfors. Non enim in hanc sententiam homines vene- runt vt Vniuersum diis carere putarent, quod in cælo, fide- 25
ribus, tempestatibus, conuersionibus & motibus Solis cir- ca terram, quibus dies & nox efficiuntur, aut alimentis animalium, frugūve prouentibus culpandum aliquid in ordinatumve viderent. sed ridicula superstitionis opera atque affectus, verba, motus, præstigiæ, incantationes, circum- 30
cursationes, tympanorum pulsationes, lustrationes impuræ, sordidæ castimonix, barbarica & iniusta in templis supplicia, ac contumeliæ occasionem exhibuerunt nonnullis dicendi, præstare nullos esse deos, quàm qui talia probent, iisque delectentur, adeoque sint contumeliosi, sordidi, & morosi. Nonne enim magis expediebat Gallis istis & 35
Scythis nunquam in mentem venisse aliquid de diis, nihilque eos de vllo numine imaginatos fuisse aut auditu percepisse, quàm opinari deos esse, qui sanguine iugulatorū hominum gaudeat, idque esse perfectissimū sacrificium statu- ant? Nonne vtilius erat Carthaginensibus iam inde ab initio

Critia

Critia vel Diagora ad condendas leges adhibito decernere nullum esse deum, nullum genium: quàm talia sacra facere, qualibus illi Saturno operabantur? vbi non, vt Empedocles ait, reprehendens eos qui animalia sacrificant,

*Mutata genitor ingulans sua pignora forma
Immolat, & Vanis stultus ferit aera votis?*

- sed scientes prudentesque suos ipsi liberos sacrificabant, & quibus nulla erat proles, ij à pauperibus infantes tanquam
- 10 agnos aut pullos auium ad eam rem emebant: adstabatque mater sine luctu aut gemitu, quem si ederet aut fleret, precio multabatur, & infans nihilominus mactabatur. & ante simulacrum omnia strepitu fistularum tympanorumque, opplebantur, ne ciulare mactati exaudiri posset. Quod si
- 15 Typhones aliqui aut Gigantes diis profligatis nobis imperarent, putâsne alia eos sacrificia, alioſve ritus fuisse desideraturos? Amestris, quæ Xerxis fuit vxor, Plutoni duodecim pro sese viuos homines defodit: quem quidem Ditem siue Haden Plato ait hoc nominis inde
- 20 habere, quòd humanus cum sit, & sapiens, atque diues, persuadendo ac sermone animas detineat. Xenophanes Physicus cùm videret in solennibus festiuitatibus plangere & ciulare Ægyptios, aptè eos sic monuit: Hi siquidem dii sunt, nolite eos lugere: sin homines sunt,
- 25 nolite iis sacrificare. Cæterùm nullus est animi morbus tam multis erroribus perturbationibusque scatens, ac tam iater se dissidentibus & pugnantibus opinionibus refertus, atque superstitio. Fugienda itaque hæc est. non tamen eo modo, quo nonnulli latrosum aut ferarum insultum, ignemve inconsideratè & imprudenter fugientes, in-
- 30 cidunt in loca inuia, vbi præcipitia sunt & voragines periculosa. Sic enim quidam superstitionem fugientes, dum transiliunt in medio positam pietatem, in asperam pertinacemque
- 35 incidunt impietatem.